satis bonos progressus fecit, spero fore ut posteriora
prioribus respondeant. Vale. Delectat me candor ve-
stri pietatis quam olim satis perspectam nunc gaudens in
ipsius officiosa epistola recognosco. Exaedificet Dominus quod
coepit in eo boni operari, et te et pientissimam conjugem
diu servet familiae et Ecclesiae incolumes ad suam gloriam
et multorum salutem, amen. 28. Junij 1560. Duisburgi.
Salutem precor D. Pastori et reliquis fratribus.

Johannes Molang.

D. Herberto à Langen. Bremae 202.

Pax Dei per Jesum Christum.

Quasi non satis amara sit mihi, venerande frater in
Domino, tam longis intervallis disjuncta consuetudo,
quae fuerat isthic vobiscum dulcissima, huic malo accedit, [Abscr. a. 7 = Nr. 62]
quod meae functionis tumultus me pene totum sibi
vindicans tum oppidi hujus recessus et solitudo nullam
aut sane raram dandi isthuc literas occasionem o-
stendens. Itaque qui mihi Bremae semper visus sum in pa-
tria vivere, ubi cum bonis vixi, hic demum me sentio
exulem esse ubi istiusmodi amicorum ne umbram qui-
dem ullam nancisci possum. Socerum quidem hic unum
habeo justum hominem et amantem mei, sed is ita
suis quibusdam studiis involvitur, ita coelo terraque
dimetiendis destinetur atque distenditur, ut perra-
ro possit vel mihi adesse, vel me admittere. Proinde
etiam in scholis aestuo et tum desideo domi, ea quae Bre-
mae molesta videbantur magnifice requiro. Sic tamen
ut in Dei vocatione acquiescens, nihil querar nec vobis,
et me ipse consolans fruar futurorum expectatione,
interea solitudo et amicorum inopia bonorum, piae con-
iugis et puerorum societate sarcitur. Hi dum adsunt
stet sententia οὐκ ἔτι καρδίαν ἔδειν οὐδὲ μέμφεσθαι,

ἀλλὰ τὰς μελαγχολικὰς φαντασίας φεύγειν ἀεὶ ...
καὶ κελεύειν (ὡς λέγειν χαίρειν ἐῶ...). Atque hæc qui-
dem conscribebam ante hac sæpè, sed nescio quo modo dū
sum in cursu τὰ αὐτὰ πάσχω τοῖς ἀγαθοῖς τοῖς τοὺς ἡ-
νιόχους ἀποβαλοῦσι, nimirum ut est apud Maronē:
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. Verùm
quid ista ad carmen! Susurrarō audivi inque concerta-
tionem quandam isthic inter Doctores agitatā
esse, sed nihil explorati certivè habens, non velim
πολυπραγμονεῖν, est hic et superest quod quamlibet
curatum, abundè nobis negotiū facesset, tantùm ut

ut meæ res parùm laudabiliter fluxerunt, gratu-
lor D. Doctori tùm tuam, tùm Consulis tam una-
nimem, tamque constantem societatem. Non dubium
est, quin D. Philippi boni benevoli exercitii pastoris
obitus Ecclesiæ peracerbus majores animos fecerit
adversariis, proinde tanto ardentius rogandus est
ὁ ἀρχιποιμὴν ὁ πιστὸς ὁ πρωτότοκος ὁ παντοκράτωρ, ut illo
egregio naviculatore in portum translato quod re-
liquum est Ecclesiæ ventosis ac turbulentis ho-
minibus vel disjiciendum, vel submergendum non
permittat. Nostri hic coetus effigiem uno ver-
siculo Poeta expressisse videtur. Apparent rari
nantes in gurgite vasto. Nam quæ etiam summ
in templis cernitur τῶν ἀπίστων ἐρημία tristem
atque enormem nobis facit ἀταξίαν, quam si quis
vestrûm spectet meque madentibus oculis adsti-
tem videat dicitet merito me solitum bre-
ma siligineo pane vesci nunc emendicatis
furfuribus victitare. Video ut dum eijciendo
tristitiam in mare Creticum amandare nisus
eodem imprudens revolvar, nosti nimirum
illud Flacci: Naturam expellas &c; inter hæc

deformitatem ipsa messis copia nobis animos suggerit et roboramur promissis Domini nostri Jesu Christi ἐγὼ ~~[struck out]~~ μεθ᾽ ὑμῶν εἰμι. Item ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενός. Item οὐ μή σε ἀνῶ οὐδ᾽ οὐ μή σε ἐγκαταλείπω. His nisi mediocriter facimus necessaria. Rogate nobiscum Dominum messis, ut propter filii sui gloriam det aliquem uberem proventum sicut scriptum est. Αὐτὸς κληρονομήσει πολλοὺς καὶ τῶν ἰσχυρῶν μεριεῖ σκῦλα ἀνθ᾽ ὧν παρεδόθη εἰς θάνατον ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Deum immortalem quanta mihi est in animo suavitas recolenti, quam dulces nobis quotannis sub haec tempora fuerint ~~[struck out]~~ congressus dum lustraturi villas agrosque vestros eodem plaustro et corporibus et animis conjunctissimi veheremur.

Cum Dominus Doctor fundit sapientia verba,
Argutis recreans moerentia pectora dictis.
Tu dapibus mensas oneras, ego pocula vinis
Infundo venis, siccatis ante lagenis.
Mox inflo calamos. Jacobus quid est cogitat hamos
Parturiens lapides et stratum sanguine spargens.
Parte alia cytharam exagitat gaudensque Orpheus
Pertondere sues melior quam dicere versus.
Aut ego cum longa depressus pondere furca
Compluor in metis, vos post demessa latetis.
Aut cum Bernhardus studiorum insignisque juventae
Dannmareser St. Petri et pugnas et vincula narrat
Tu lupulum excoctans coquis, anguillasque fluentes
Flammis invectas, mordaci forcipe versas.
Assideo cor edens et adusto sanguine laedens
Donec me (o dulcis frater) sermone benigno
Et Bernardino cogis man suescere vino.
Haec ego dum meditor frustra sublapsa requiro
Tempora, nunc lachrymans, tenui nunc murmure ridens
Ipse tuo et fratrum constanter amore quiescas.

Calendis Julii 1560. Duisburgi. Johannes Molanus.